



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,  
in visitationem Saxoniam**

**Cochlaeus, Johannes**

**Parisiis, 1564**

De sumptione huius Sacramenti, cap. 22.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35803**



Germani, maiori ex parte, vt neq; disciplinā, neque rationem habeamus. Et quando audiimus de Deo, reputemus illud perinde atque mimorum & ioculatorum fabulas. Talia habentur nunc dicta & facta in vulgari populo cōtra sacramentum, qui per Suermerorum doctrinam seductus est, vt aliquis potius deberet mori, quā vnum habere aut scribere sermonem ad eos. Si ergo tu (Illustriss. Princeps) hæc Lutheri tui dicta & scripta tam impia, quæ supra retulerūt fratres eius tergemini, vel audisti vel legisti, & non vindicasti honorem Dei tui: Quid vis, quæso, vt de te sentiamus? Vides hic qualem ferat sententiā ipse Lutherus, omnium harū impietatum antesignanus?

In lib. j. cōtra Zuingl. & Oecolā.

## De sumptione huius Sacramenti.

### C A P. XXII.

#### VISITATOR.

**N**on debent ad hoc sacramentum admitti, qui in manifestis iacent peccatis, adulterio, ebrietate & id genus similibus, & ab eis non desistunt. DOCT. Magni æstimatur periculum istud, sicubi particula aut guttula sacramenti huius absque voluntate nostra casu decidat. Quòd autem plerique ipsum in foetidam contentiosāque animā petulanter suscipiunt, hoc pro nullo reputatur periculo. Qua-

In declaratione ser. de Eucharistia.



DE SVMPZIONE

*Vbi supra.*

*In sermo. de  
preparatio-  
ne ad mortē.*

*In sermone  
de nouo Te-  
stamēto, seu  
Missā.*

*In cap. Ba-  
byl. cap. de  
Euchari-  
stia.*

*In 500. ar-  
tic. art. 406  
In ser. feria  
6. post In-  
uocauit.*

si vero eiusmodi anima non millies fœdior sit ac indecentior sacramento, quàm omnis illu- uies super terram. **V I S I.** Secundò, nemo de- bet ad sacramentum admitti: nisi prius acces- serit Parochum suum, qui audiat ipsum, an de sacramento rectè sit edoctus, aut si aliàs egeat consilio quopiam. **D O C T.** Nemo autem ex viribus ppriis talia vsurpare præsumat, sed ro- get quisque Deum humiliter, vt fidem & in- tellectum suorum sanctorum sacramentorum in nobis efformet & conseruet, vt res in timo- re & humilitate agatur, & non nobis, sed Deo detur gloria. **M A R.** Sine alios orare, ieiuna- re, confiteri, ad Missam & Sacramentū se præ- parare, vt lubet. Tu quoque fac similiter, eate- nus, vt scias hæc omnia stultitiam esse & hy- pocrisim, si non proponas tibi verba Testamē- ti, fidemque & desiderium ad illud excites. **L V T.** At omni studio cauetur hodie, ne ver- ba illa Christi vllus laicus audiat, quasi sacra- tiora, quæ vt vulgo tradi debeant, sic enim in- sanimus, Præparatio autem digna & vsus le- gitime nō est nisi fides, qua creditur Missæ, id est diuinæ promissioni. **E C C L E.** Crede igitur Deum stare pro te, & dare omne bonū & sanguinem suum pro te, quasi dicat, accede au- dacter & animosè post me, videamus, quis tibi nocere valeat. Accedant huc Diabolus, mors, peccatum, infernus, & omnes creaturæ, dum ego pro te sto: quia ego defensor, prote- ctor & præcessor tuus esse volo. Qui in tali fi-



de stat, is huc pertinet, & accipit sacramētum, tanquam in securitatem & sigillum aut signū, quòd de diuina promissione certus sit. VISI.

*In lib. Viss.*

At rectius docetur, eos solos bene dispositos esse ad Sacramentum, qui veram pœnitentiam & contritionem super peccatis suis gerūt, exterritāsque habent conscientias. Crudi enim & intemorati homines non debent accedere, quia scriptum est I. Cor. II. Hoc facite quotiescunque feceritis, in mei commemoratio-

nem. LVT. Sic autem conclusisti olim nobiscum in Babylone nostra, eos solos indigne cōmunicare, qui tristes, afflictas, perturbatas, cōfusas, & erroneas habent conscientias. Nam

*In cap. Babyl. cap. de Eucharistia.*

verbum diuinæ promissionis huius sacramenti, cū exhibeat peccatorum remissionem, securè accedit, quicumque peccatorum suorum vexatur, siue morsu, siue titillatione. MAR.

*In sermone de nouo Testamento.*

Certum est ergo, quòd liberis ac securis spiritibus, quos sua peccata non mordent, Missa nihil prodest, quia nullam adhuc famem habent ad hūc cibum, nimis adhuc repleti sunt: Missa vult & cogitur habere animam esurientem, quæ desideret remissionem peccatorum,

*In libro de abroganda Missa.*

gratiāmque diuinam. BAR R. Nihil æquè pugnat aduersus Eucharistiæ fructum, atque hæc sacrilega opinio Papistarum, & nocentissima conscientia Deum esse iratum, & hoc sacrificio placandum. Qui nisi summè esset placatus & amantissimus, tantas suas opes nec exhiberet, nec effunderet. E C C L E. Iste ci-

*In 500. art. art. 409. In sermone vbi supra.*



DE S Y M P T I O N E

bus vult habere esurientem hominem, quia in animam esurientem libenter vadit, quæ quotidie cum peccatis pugnat, & ab eis libenter liberaret. Ideo isti optimè dispositi sunt, quos mors & Diabolus continuè impugnant, & ibi cōmodissimè eis porrigitur. M A R. Diu tibi mundandi essent calcei, vestesque purgandæ & exornanda faciès, vt testamentū aliquod consequaris, vbi nō habes literas & sigilla, quibus ius tuū ad testamentū p̄bes: Si verò habes literas & sigilla, credis, petis, & quæris illud, oportet vt tradatur tibi, etiā si sis scabiosus, lentiginosus, fœtidus, ac maximè immūdus. Sic itidē, si vis hoc Sacramentum & testamentū dignè suscipere, cura, vt hæc viuua verba Christi proponas, super quæ te ædifices firma fide, ac petas quod Christus in illis tibi promisit, tūc fiet tibi, & es dignus ac bene dispositus. L V T. Affentior tibi, Martine, Est enim Testamentum hoc Christi, medicina vnica, præteritorū, præsentīū, & futurorū peccatorū, modo indubitata fide ei adheſeris, & credideris, tibi gratuito dari id, quod verba Testamenti sonant. B A R R. Tam miserè Satane doctrina impositū est nobis, vt ibi quæramus bona opera, & fructus, vbi oportuit fidē & arborem, ipsāmque radicē quærere. Proin, vide vt maneat in via, & non patiari, tibi verbū Dei vllis verbis hominum, quāuis magnorum eripi, siue Augustinus sit, siue Hieronymus, siue Angelus de cælo, Christus prædicit fore, vt seducatur etiam

*In sermone  
de nouo Te-  
stamento.*

*In Cap. Ba-  
bylo. cap. de  
Euchari-  
stia. in fine.*

*Ad Val-  
denses de  
Euchari-  
stia.*



electi. Quare nullius sancti verbis, sine scriptura credendum est. ECCLE. At Visitator *In 500. artic. art. 403*  
 iste noster renouato papatu vult accedentem *In ser. vbi supra.*  
 prius discuti à sacerdote, percelli timore, con-  
 teri pœnitentia, nouâ ex hoc sacramento ordi-  
 nationem faciens, sicut ante eum fecit. sanctis-  
 simus Papa cum legibus suis, vbi præcepit, vt  
 omnes Christiani tempore sacro Paschatis, ad  
 hoc sacramentũ accedant. Qui nõ accesserint,  
 in cœmiterio non sepeliantur. Ideo maxima  
 peccata cõmittuntur in die Paschæ, solũmodo  
 propter hoc impium mãdatum, quo homines  
 ad sacramentum cogere, & impellere conatur,  
 quod omnino fieri nõ debet. SVER. Magnus *In assertio-  
ne art. 15.*  
 profectò error est eorũ, qui ad hoc Sacramen-  
 tum accedunt, huic innixi, q̄ sint confessi, q̄  
 non sint sibi conscij alicuius peccati mortalis,  
 q̄ præmiserint orationes suas & præparatoria:  
 Omnes illi iudiciũ sibi manducant & bibunt.  
 Sed si credant & confidant se gratiam ibi con-  
 sequuturos, hæc sola fides facit eos puros, &  
 dignos. Nam & Paulus pro me stat, dicens: Ni-  
 hil mihi conscius sum, sed non in hoc iustifi-  
 catus sum. Ecce omnia reiicit nisi solam fidẽ,  
 de qua dicit Rom. iij. Iustificans eum qui est  
 ex fide. E C C L E S. Si omnes igitur rapi- *Vbi supra  
art. 405.*  
 næ, omnes vsuræ, libidines, & omnia pecca-  
 ta computentur in vñum, peccatum istud o-  
 mnia alia excedit, & ibi quidem, vbi sanctissi-  
 mi esse homines volunt, quia Papa in nullius  
 cor introspicere potest, an fidẽ habeat necne.



DE SVMPPTIONE EVCHARISTIAE.

*In lib. de cō  
fess. ad Frā  
ciscum.*

BARR. Idcirco fidele consilium meum est, vt homo Christianus in Quadragesima & Paschate, neque confiteatur, neque ad hoc sacramentum accedat, ac sic cogitet: Quandoquidem homo, Papa scilicet, præcipit, ob id ipsum non faciam, & si non præcepisset, facturus essem: faciam autem alio tempore quo ipse non præcepit: quando & quomodo me voluptas mea libera impulerit: ob id sanè, vt non assuefaciam me ad præcepta humana.

COCLÆVS.

*Audis hoc, Illustriss. Princeps, Lutheri tui consilium? An non omnem ordinationem & præceptionem tuam per illud eludit, frustrat, reiicit, condemnat? Non enim puto te, tã stulte superbire, vt paganice cum Domitiano dicas, te, non hominem, sed Deum esse. Quid, si populi tui sic responderent nunc tuis Visitatoribus? Homines enim sunt, non dij. Non mireris igitur, si minus sint deuoti, minus morigeri & disciplinati, minus obedientes, quàm ante decem annos fuerunt: quia ex Lutheri tui libris meliores fieri non possunt. Quod si nunc, timore tui, aut odio Suermerorum, saniora per Visitatoris librum proponat, corda tamen populorũ tuorũ non conuertet, quia sciunt eum in plurimis libris antea aliter docuisse. Aut igitur omnes libros eius exure, ne habeant populi tui*

*contra-*



ria, quæ *Visitoribus* tuis obiiciant, aut sic perpetuò populos tuos in tot erroribus miserimè perplexos, irretitos, dubios, confusosque fœde ac infœliciter derelinque. Patetur enim nunc Lutherus ipse, tantam esse in fide factam hoc tempore confusionem, ut fere nemo sciat, quid credere debeat. Quid mirum? quia neque ipse vsquam sibi constat, & priora semper posterioribus nunc bene, nunc male corrigit.

*In lib. cōtra  
Rebapti-  
zatores.*

## De vtraq; specie huius Sacramenti.

## CAP. XXXIII.

## VISITATOR.

Secundus articulus est, ut doceantur homines, iustum esse, vtramque speciem sumere. Informauimus igitur Parochos & Concionatores, ut eiusmodi doctrinam Euangelij de vtraque specie, fortiter ac liberè prædicent coram quibuslibet, siue sint fortes, siue imbecilles, siue ceruicosi, & nullo pacto alteram speciem iustificent, sed redarguant velut rem iniquam quæ sit cōtra institutionem & vltimam voluntatem Saluatoris & domini nostri Iesu Christi. DOCT. Quamuis nunc populo non datur vtraque species, sicut olim, neque est necesse: tamen sacerdotes vtramque sumunt quotidie coram populo, & satis est populum quotidie desiderare, ac suo tempore alteram speciem, quantum ordinat & dat Catholica Ec.

*In lib. Visti.*

*In serm. de  
Eucharist.*